25

DEO OPT. MAX.
UNI ET TRINO,
VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,
QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis decimâ-nonâ mensis Novembris Anno Domini M. DCC. LXVII.



PRÆSIDE
M. FRANCISCO PORTIER DE LA HOUSSINIERE,
DOCTORE MEDICO.

An Apoplexiæ sanguineæ simultanea per incisam temporalem arteriam venamque jugularem adversam sanguinis missio?

I.



OMNEM medicinam naturæ imitationem non immeritò dixeris, nec fuit usquàm aliàs ars nostra felicior, quàm ubi genuinis ejusdem appetitibus obsequiosa paruit. Omne tulisse punctum in medicis videtur qui cum absolutâ naturæ notitiâ, ampliorem artium, quibus ipsa sese à morbis tuetur expeditque, scientiam conjunxit. Sivè namque redundantem in ventriculo morbi materiam emeticis tollas auxiliis, aut in intestinorum tractu nidulantem per cathartica deorsùm detrudas, sivè circulationis alveum ingressam, auctâ languidiore, vel imminutâ valentiore reciprocâ solidorum ac fluidorum actione, coquere, coctamque per bechica, vel diuretica, vel sudorifica propulsare tentes, naturam utiquè sequeris, quæ vomitus ultrò, diarrhæasque spontaneas primùm, remittentes dein febrium motus adhibere novit, quibus abscondita morborum seminia domet ac subigat, & ipsa per pectus, aut renes ac vesicam criticè, vel referatos cutis meatus è corpore tandem eliminet. Neque dissimili ratione Medicus ægrotantes à doloribus anodynis vindicare studet, aut morbum ad illas corpori partes vesicantibus advocare, quæ minimùm ab abcessibus ulceribusque metuendum habere deprehenduntur. Quàm bene naturam æmulatur adeò piè, a deòsanctè crudelis Chirurgia, vulnera quoties inquinata sordibus emundat, amicioribus balsamorum miasmatibus irrorat & imbuit, plumaceolis mollibus confovet, vel & ubi ferro & igne armata protuberantes cariei latebras retegit, secat, urit; carnes gangrænâ tentatas scarificat; membra siderata rescindit! Finis esset huic positioni nullus, si singula perstringere vellem in quibus salutaria naturæ molimina medicas artes bene docta manus imitatur. Sanguineam huc in exemplum attulisse sufficiat apoplexiam, cui tollendæ simultaneam, per incisam temporalem arteriam, venamque jugularem adversam, sanguinis minutionem inter alia medicamina conducere iis rationum momentis probare conabor, quæ, nisi ab experientiâ penitùs, ab exquisitiore saltem analogiâ sic derivabuntur, ut parem omninò vim obtineant, propositumque remedium vel timidioribus tutissimum, & cunctis, certò profuturum esse videatur.

I I.

VERA ſolaque naturæ vox *indicatio*; & optimè medetur qui per opportunam *indicatorum* applicationem ipſi reſpondere didicit. Ut autem in omni morbo, ſic in eâ ſpecialiùs,dequâ hîc agitur,apoplexiâ, à ſignis proximam morbi cauſam declarantibus illa vox eruitur.Omiſſis porrò variis apoplexiarum ſpeciebus, quæ copioſiorem in capite pituitam, aut in motum actam perfulmen electricitatis materiem, aut induratas rigidorum articulorum obſtructiones, morboſosque varios oſſium tumores cauſam habent, ſingula ſi conſiderentur tum quæ futuram præcedunt ac nuntiant apoplexiam, tum quæ præſentem comitantur, phænomena, ea quotquot ſunt reperientur cerebrum à ſanguine affectum clariſſimè oſtendere. Primùm enim ſi in eos tantiſper oculos conjicias, quos apoplecticis inſultibus obnoxios eſſe huc uſquè viſum eſt, ipſos agnoſces ſic à naturâ conditos, ut craſſum ac pingue breviori in cervice caput gerant, mediocri corporis habitu, optimis verò facultatibus donentur. Ollis vitæ vires valentiſſimas, viſcerumque chilopoieticorum robur immane, & calidiſſimum, ut aiunt, largita eſt Natura temperamentum; undè ipſos neceſſariò ſanguineos eſſe verè concludes. Iidem procedente ætate, parùm creverunt, quòd Veneri Bacchoque litavere maturiùs: nunc autem quia lautis opiparis que menſis abutuntur, ſomnisque longioribus indulgent, verâ laborant plethorâ, fœcundâque malis cacochymiâ. Neque cernere te pigeat ut erecto ſtent corpore baſibus fundati ad unguem reſectis, uti hilares ipſis oculi ſplendeant, fucoque genæ rubeant & labra Phænicæo,ut latiſſimum in pectus triplex ipſiſmet mentorum ordo gradatim illabatur, floridaque facies & nitens in toto corpore ſanitas neſtoreos anno iiſdem polliceri videantur.Verùm nec tu doloſo huic nimiùm fides colori. Properatur enim infauſtiſſima rerum mutatio, preſſoque ipſos urget pede morborum cohors numeroſiſſima. Fatalis illa præprimis inſtat de quâ dicimus apoplexia,quam *ictum ſanguinis* ritè appellatam eſſe demonſtrant tum quæ præmiſimus vel & brevitatis cauſâ omiſimus *antecedentia*,tum quæ ſequuntur *diagnoſtica* morbi phænomena.Præſens etenim ubi adeſt malum, violaceo colore frons & genæ tinguntur ægro, labraque plus minusvè diſtorquentur. Naſus ipſi jam anteà rubicundus atque tuberoſus atro nunc rubore ſuffunditur;collum tumet & oculi lacrymis manant invito. Subitus intereà capitis dolor, idemque ſævit acutiſſimus, viſus obſcuratur, ſtrident dentes, extrema frigent, editoque clamore ſtertit idem attonitus ac ſenſibus expers,& pectus ipſimet ſpirando impar quaſi vinculo conſtringitur, idque unum ſupereſt miſero, quod nonpræſocatur.

I I I.

NEQUE veròprofuſioribus altioris Phyſiologiæ ratiociniis opus eſt, ut ſigna hæc id oſtendere conſtet quod ea oſtendere dicimus. Etiamſi namque ſemeïotica deficerent argumenta, non ideò tamen deeſſet ab Autopsiâ certitudo, quæ internarum non ſecùs ac externarum capitis partium vaſa, in hominibus ſanguinis ictu perèmtis, ſanguine turgida vel diſrupta, totamque cerebri ſubſtantiam eodem latice ſaturam ac penitùs ingurgitatam uſquè retexit. Idem etiam probaret ſingularis ille modus quo natura morbum hunc ſolvere conſuevit, dum hæmorrhagias ciet copioſiores ac topicas, vel ſanguineas creat diſſitis in locis ſtaſes, ut partes impeditæ ſeſe faciliùs expedire valeant. Clariſſimè igitur apparet ſummum ac palmarium in eo affectu remedium eſſe debere ſanguinis minutionem. Et reipſâ,inveſtigatâ ſedulò morbi cauſâ, illud primum ac præcipuum ab omni ævo tentavere Medici, ut nimiam tollerent vitalis liquidi copiam undè præſentia natales habere mala videbantur. Cum autem non ſola minutio generalis hîc indicata videatur, verùm illa præprimis exoptanda ſit vaſorum evacuatio, quæ interiora capitis organa liberet efficaciùs,in eo præſertim

discrepaverunt Therapeutæ, ut partem assignarent corporis in quâ sanguiferorum canalium celebrata sectio rectiùs ad finem intentum conduceret atque potentiùs conferret. Hinc consuetæ brachiales in venas phlebotomiæ multi saphænæ apertionem anteposuerunt, alii raninas secare maluerunt, venas jugulares incidendas commendaverunt alii, nec defuere plurimi, quibus peragenda temporalem in arteriam multò suaviùs arrideret operatio. Quemadmodùm autem evidentibus Physiologiæ Pathologiæque principiis innixum est sanguineæ molis imminutionem præsentissimam esse in apoplexià sanguineâ medicinam, ita certissimè constare debet, ipsam tantò plus eodem in affectu profuturam esse, quantò in vicinioribus loci affecti locis celebrabitur vasorum incisio, & illo præcipuè modo, qui promptiùs vasa cerebri vacuet, ejusque substantiam celeriùs atque valentiùs expediat. Hinc ex propositis operationibus nullam magis ad salutem ægri conferre ducimus quàm venarum jugularium, arteriæque temporalis apertionem, illudque tantummodò superest ostendendum, tantò magis profuturum esse propositum à nobis remedium, quòd simultanea fiat per incisam arteriam venamque adversam sanguinis imminutio.

I V.

ILLUD est observationibus pathologicis, experimentisque physiologicis stabilitum, ex incisâ quâlibet corporis arteriâ sanguinem ita profluxurum esse, ut in syncopen, ipsamque mortem abeat homo, nisi modo quocumque sistatur hæmorrhagia Certum est etiam tunc mori hominem, quia sanguine defraudatur quo indiget, ut vivat, tantòque celeriùs eum perire, quantò majorem vitalis liquidi copiam aperta capit arteria. Constat ergò fieri tunc vasorum omnium inanitionem, ideòque sanguineæ molis imminutionem. Prætereà ea est vasorum corporis humani conditio, ut singuli unius trunci rami acceptum à corde sanguinem inter se partiantur servatâ tandummodò ratione capacitatum. Nec enim plurimùm huc facere videntur vasorum anguli, ipsorumque divisiones. Evidens est ergò vasa tantò plus fluidi esse admissura, quantò ampliora erunt, flexilioraque & dilatabiliora, minorque erit laticis moles jam anteà propulsi, & novo advenienti fluido obsistentis. Si quis igitur alicujus trunci arteriosi ramus lanceolâ pertundatur, tollitur illicò pars magna resistentiarum in illo, ideòque copiosiorem illicò recipit à communi trunco liquidi quantitatem, dum proportione factâ, minorem sortiuntur ab eodem trunco liquidi illius portionem aliæ ramificationes. Temporalis ergò si secetur arteria, minorem utiquè ipsius parietes opponent sanguini à carotidis externæ trunco affluenti resistentiam, adeòque majorem, quàm ante sectionem, sanguinis copiam admittet. Ipse ergò carotidis externæ truncus jam indè capacior factus plus à communi carotidum trunco, & consequenter à corde sanguinis accipiet, minoresque interea carotis interna ejusdem laticis fluctus ad cerebrum obvolvet. Minor igitur aderit ab arterioso sanguine in venosum per vasa cerebri quasi stagnantem impetus, restitutâque proindè suâ solidis elasticitate, longè facilior inibi circulaturo latici via parabitur. Notum est insuper animi deliquium, ipsamque mortem perindè ab evacuatione sanguinis per dissectam venam accidere, quæcumque tandem vena secetur, modò certam habeat alicujus momenti diametrum. Neminem fugit ab evacuatione tali arteriarum pulsus minui atque crebrescere, undè phlebotomia non secùs ac arteriotomia certissimè vasorum inanitionem parit, ac proindè sanguineæ molis imminutionem, debilioremque ab arteriosis fluctibus in venosos arduè meantes arietationem. Temporalis igitur arteriæ sectio non secùs ac venæ jugularis incisio mirum in modum materiæ apoplexiam sanguineam facientis resolutioni favet; quantò igitur potentiùs favebit eidem utraque, si simultanea concurrat utriusque efficacia?

V.

TANTO meliori jure adhiberi simultanea temporalis arteriæ, venæque jugularis apertio potest, quòd arteriam primum, venamque dehinc, & ipsam arteriæ adversam, aperiendam esse commendabimus. Injectum enim venæ jugulari vinculum necessariò sistit in illo vase sanguinem, ideòque, quando peragitur inibi phlebotomia, causa morbi necessariò augetur cui tollendæ Medicus incumbit, indèque ratio patet cur ante jugularium incisionem, phlebotomiam in brachio, vel in malleolo, præscribere soleant Clinici. Verùm si priùsquàm vena jugularis aperiatur, incidatur arteria temporalis, nullatenùs jam celebrandâ in aliis partibus venæ sectione indigemus, idque ex iis quæ præmisimus facillimè percipietur. Præterea dum jugularem temporali adversam secamus, non impedit effluens ex arteriâ cruor quominùs agat Chirurgus, operationemque suam perfectiùs absolvat. Neque verò ullâ ratione objiceres nimiam effluxuram esse sanguinis quantitatem, si, quemadmodùm hîc suademus, vasa duo simul aperiantur: indicatio namque præsens profusam ac repetitam expostulat sanguinis emissionem, naturamque imitamur evidentissimè, quæ largas toties per arterias venasque diruptas in salutem apoplecticorum hæmorrhagias exsuscitat. Neque potiori jure frustraneum ac periculosum opponeres offerri remedium, cujus effectus nullo rerum usu, nullis experimentis comprobentur: præter quàm quòd enim istud objectionis genus, si valeret, arti promovendæ quamplurimùm officeret, ejusmodi est propositum à nobis remedium, ut indicationem adimpleat, evidentioribus theoriæ medicæ principiis, perfectissimâque analogiâ fulciatur; ut ab omnibus, sigillatim quidem, Medicis usurpetur, sed, si ex universali medendi normâ conjicere liceat, conjunctim applicandum tacitè, ut ita dicam, ab omnibus desideretur. Solutis igitur solvendis concludemus:

Ergò Apoplexiæ sanguineæ simultanea per incisam temporalem arteriam venamque jugularem adversam sanguinis missio.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Jacobus-Ludov. ALLEAUME, *Militarium Nosocomiorum in Regis exercitu nuper Medicus.*

M. Martinus NOUGUEZ.

M. Guido-Andreas GARNIER, *in Insulis Martinicâ & Guadalupiâ Consiliarius Regis Medicus ordinarius.*

M. Claud. Fran. GRANDCLAS, *Eques, Stanislai I. Poloniarum Regis olim Consiliarius Medicus & Regiorum exercituum à Consiliis Medicis.*

M. Ludovicus - Alexander GERVAISE, *Bibliothecæ Facultatis, Præfectus.*

M Laurentius FERRET, *Ecclesiæ Cameracensis Canonicus.*

M. Joannes - Franciscus - Clemens MORAND, *Castrorum & exercituum Regis nuper Medicus, nunc in Regiâ Invalid. domo Coadjutor Medici renunciatus, è Regiâ Scientiarum Acad. Paris, necnon Academiar. Stokolmiæ, Matriti, Florent. Rothomag. Lugduni Socius, Regii Medicor. Nanceïanor. Collegii Socius honorarius; illius itidem, quod est Leodi, Assessor honorarius.*

M. Ambrosius HOSTY.

M. Joannes - Jacobus BELLETESTE, *Facultatis ex-Decanus & Academiæ Censor.*

Proponebat Parisiis THOMAS LEVACHER DE LA FEUTRIE Ebroïcensis, Doctor Medicus Cadomensis, & Saluberrimæ Facultatis Parisiensis Baccalaureus, Theseos Auctor A. R. S. H. 1767. A SEXTA AD MERIDIEM.

Typis QUILLAU, Universitatis & Facult. Medic. Typographi, 1767.